

DE  
AUCUPIOFAMÆ,  
SUPERIORUM INDULTU  
IN  
CELEBERRIMA LIPSIENSI ACADEMIA  
PRAESIDE  
IRO PRÆCELLENTISSIMO ac PLURIMUM REVERENDO,  
DOMINO  
I. SCIP. CAROL. JO. CASPAR. Rumpff,  
S. S. THEOL. BACCAL.  
PRAECEPTORE atque FAUTORE SUO  
ÆTERNUM COLENDO  
ANNO 1717. d. 9. JUNII  
DISPUTABIT PUBLICE  
AUTOR RESPONDENS  
CHRISTIAN. GOTTL. SCHEUBNER.  
LANGENDORFF. MISN.  
H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ,  
Literis CHRIST. FRIDERIC. RUMPFF.

et. CXXIII. 57.

Coll. diss. A  
15, 1

841. A. 215(1)

A Ses Excellences  
MONSEIGNEUR  
**GEORGE RUDOLPH F**  
**DE KAYN,**  
Conseiller intime, Vice-Chancelier & Presi-  
dent du Consistoire de Zeitz,  
ET  
Assesseur de la Cour suprême Provinciale &c.

ET  
MONSEIGNEUR  
**ADAM HENRY**  
**DE MINCKWIZ,**  
Seigneur de Staschvitz, Proesdorff, Falken-  
hayn, Hemmendorff et Maltiz, Lieutenant Colonel de  
S. A. S. Monseigneur le Duc de Saxe Weissenfels & Grand  
Intendant du Baillage de Pegau &c.

Mes tres-grands Patrons.



Seig-

# SEIGNEURS!



Est avec le plus grand respect du monde, que je Vous offre cette petite piece, la premice de mes etudes, le don , que je Vous dois. Peut-etre m'accuserez Vous d'une grande insolence, & condamnerez mon audace. Vous direz, que c'est bien poser une couronne de perles & de diamans sur une statue de terre, & faire entrer par des Portiques magnifiqves & des Arcs triomphaux superbes dans une vilaine cabane , de mettre de tels noms a la tête d'un ouvrage de si peu de prix. Mais Vous verrez aussi, que ce n'est pas faute de mon imprudence, & que ce n'est que par la splendeur de Vos vertus, la grandeur de merites & l'abondance de graces pour moi & les miens, Ainsi Vous considererez, que ce n'est pas la seule generosite de doñer beaucoup de marques d'une grande faveur, mais aussi de recevoir bien les marques d'un profond respect. Mais Vous m'excuserez en pensant a ce d'Aristide disant, qu'il est seant de consacrer les Temples aux Dieux & les livres aux illustres personnes. Qvoi qu'il en soit, je m'acquitte de mon devoir en consacrant cette piece du pourchassement de la renomeé & gloire à Vous, qui avez tant de renommée & gloire, que je crois en avoir aussi assez d'etre

Seigneurs

de Vos Excellences

le plus humble valet

**Chretien Gottlob Scheubner.**

# CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

## Proœmium

Divisio famæ in simplicem & intensivam, hujusque definitio  
§. I.

• Divisio in rationalem & irrationalem. §. 2.

Quæstio: utrum liceat aucupari famam? affirmatur. §. 3.

Probatur §§. 4 - 6.

Quæstio: utrum famam tueri liceat vel cum nostra' vel cum  
lædantis internecione §. 7.

Modi afferuntur spurii aucupandæ famæ. I per studia α) se-  
vera 1) nimis defendendo antiqua. §. 8.

2) innovando solummodo. §. 9.

3) statuendo ea quæ sciri non possunt. §. 10.

β) per studia elegantia. §. 11.

γ) per studia pædantica agendo a) vesanum Criticum, §. 12.

b) Abstractionum nimium Patronum. §. 13.

c) Paradoxorum venditorem. §. 14.

II. per modum evulgandi eruditionem. α) per Collegia §. 15.

β) per actus publicos. §. 16.

γ) per scripta. §. 17.

III. per vitam 1) externum corporis cultum. §. 18.

2) per mores. §. 19.

3) per virtutes affectatas. §. 20.

Causæ, quae ad aucupandam famam impellunt. §. 21.

Media legitima. 1) Scriptor acutissimorum divulgatio. §. 22.


2) Nova inventa. §. 23.

3) Literarum commercium & scripta eristica. §. 24.

4) Docendi dexteritas §. 25.

Epilogus. §. 26.

Pro-



## Proœmium.

**F**amam Tibi aucupandam proponimus, Lector benevole! Famam, inquam, quam forsan et ipse sectaris. Cur enim Te solum ab huius studio existimarem alienum, cui se mancipat quicquid mortalium vastus habet orbis? Non loquor inconsiderate. Quis enim est in orbe, qui non aliquam, quamvis & inanem captet gloriolam? Nonne vel pueri efferuntur lætitia, cum ludentes vincunt? Pudet victoria ab æqualibus privatos, impetrata præ aliis gaudent & exultant. Ad arduos labores subeundos facile invitantur, ut vel æqualem sint principes. Nec eos quidem ab hac cura plane liberos pronunciarum, qui vel infimæ etiam sortis inter homines vivunt vitam. Ecce saltem Tibi carnifex! Nonne & hic cupiunt laudari, si qua præ ceteris polleant capita obtruncandi dexteritate? Quid quod vel hi ipsi Viri volunt prædicari, qui de gloria contemnenda libros adornant. Cur enim his ipsis libris nomina sua inscribunt, nisi ut fama eorum eruditus resonet orbis. Est enim maximus omnium gloriæ vanæ auceps, qui se a gloria plane abfuisse gloriatur Ita vero Sanctissimi Numinis assistentia adjuti dissertationem adornabimus ut præmissa famæ definitione eius studi-  
um

um licitum demonstremus. Quo facto modos spurios famæ comparandæ, non omnes quidem, in medium adducemus. Postea causas & fontes cum subjectis mediis ea quidem, quæ nobis amatur, brevitate exponemus.

§. I.



Ama, fama, non sola pecunia, sed et fama, honor & gloria misere vexat homines. Non opes, non pecuniam querunt filii Zebedæi: Ita enim non secuti fuissent pauperrimum omnium mortaliū Magistrum. Gloriam tamen & honorem petunt, ut scilicet sedeant ad latera salvatoris. Non in imperio pecuniam, sed famam pauper affectat Phocion. Nec adeo injuste, dummodo cetera agantur recte. Quid igitur mirum, eruditos præsertim anxios hancce habere curam? Nonne Musarum nutrix Eupheme est? Ita enim effinxere gentiles. Nec immerito. Quid enim fama magis atque gloria mortales ad honesta allicit facta? Alexander M. viro Achillis sepulcro studio gloriæ & æmulatione virtutis incensus illacrymasse fertur. Themistoclem trophya Miltiadis ab otio & somno ad gloriæ studium vocarunt. Et sane Semiramis cum Artemisia tantos adiisse labores putetur, nisi gloriæ desiderium superasset sexus imbecillitatem? Dividitur autem fama & existimatio, quas voces pro Synonymis habemus, in simplicem & intensivam. Simplex est judicium de bonitate hominum simplici i. e. qua viri boni judicantur æquales malitia scilicet carentes. Intensiva est, qua inter eos, qui omnes, si a statu naturali & civili abstractas, gaudent existimatione simili, unus vir bonus altero censetur præstantior, intuitu bonitatis, quam in rem publicam factorum excellentia confert, de qua nobis est sermo. Fama itaque intensiva est opinio plurium de alterius præstantia ob excellentia bona in rem publicam collata. Bona non tam fortunæ & corporis

ris

ris quam mentis hic intelligimus. Bona sunt vel justa, vel decora, vel honesta. Quilibet iusti regulas observare debet neque tamen de præstantia virtutis gloriari debet. Qui decori regulis amorisque legibus observandis operam impendit majoris æstimandus est majorique laude dignus, neque tamen famæ quid exinde accupari debet. Qui vero præterea honestatis regulis summa industria incumbit is demum legitima famæ parandæ media & instrumenta amplectitur, dignus, quem omnium maximi æstumemus. Famam non esse in nostra potestate ulterius ex definitione patescit. Plures enim esse suitos quam sapientes, qui vel ex ignorantia vel malitia famæ illuminant, norunt omnes. Sed non immoramus definitioni ulterius explicandæ, quia cum eruditis de fama differendi erit occasio, cum quibus bene disputandum esse alibi dicitur.

### §. II.

Notandum præterea, nos hic definitissime famam rationalem non irrationalē. Meretur res, quam uno altero ve illustreremus exemplo. Si quis misellus homuncio cum vesanæ mentis studioso, quem Paduæ vixisse dicunt, suum nomen in orbe clarum vellet reddere, & clam egredoretur noctu, instrutus scala, sicque ascendens summa urbis palatia iis nomen suum auratis inscriberet literis, hunc pro rationali fama ineptiæ & insipientiæ notam incurrere, ecquis est, qui sit inficiaturus? Videbis id ulterius in eo, quem tibi hic descripsimus. Iste enim aliquando in hoc ipso egregio negotio, tanquam fur consensurus urbis magnifica palatia a lictoribus arreptus custodiæ traditus est, satis ibi temporis habens nomen suum etiam carceris parietibus magnificis inscribendī literis. Porro si quis cum Agrigentino isto Philosopho Empedocle immortalitatis atque fama perverso studio adeo in census esset, ut vel Æternam insuleret in mediosque ipsius ignes se conjiceret, ut ad superos modo transisse Deusque factus esse videretur, is equidem in sui admirationem mortales rapit, non tamen dignus, cujus nefandum facinus laus & gloria rem ex debito æstimantium comitetur. Nam famæ tantum irrationalis non rationalis cupidum quis hunc non pronunciet? Herostratum, quem, ut immortale redderet nomen Vid. hæc sinuum, Dianæ Ephesinæ incendisse templum historiæ testantur, ad gula suo loco famam

loco Hoffm. famam temerario ausu grassatum quilibet mecum consentiet. Longum nimis foret si, quæ hanc in rem dici possent coacervare singula vellemus. & in rem afferre præsentem.

Lexic. Univ.  
T. I.

### §. III.

Ut vero totius operis cardini immineamus; disputabimus nunc, utrum licitum sit aucupari famam? Suis hic omnia constringimus limitibus. Absit patrocinemur illis, qui per media illegítima glorio-læ captandæ anxiam sæpius & noxiā impendunt operam. Non enim nobis facienda sunt mala ut exin nobis boni aliquid enascatur. Si omnia vero rite instituunt famæ cupidi non concedi nus solum sed jubemus quoque famæ servire omnes variis adducti rationibus.

### §. IV.

Namque 1) famam aucupari licet, imo decet, propter nosmet ipsos. Famæ qui operam dat, agnoscit communem stultitiam generis humani, agnoscit etiam propriam, quæ agnitio sane fons omnis sapientiae est, sine qua mortalium neminem famæ veræ acquirendæ incesserit desiderium. Prudentissimum perfectissimumque ens hominem pronunciant, cum longe sit miserrimum tot scatens vitiis animal, quibus expellendis & cum hoc mortalitas denegare videatur, imminuendis saltem seriam operam si non impenderit homo, veræ famæ fundamenta posse jacere quis certe crederet? Nunquam famæ studiosus in perfectione sua acquiescit, sollicitus potius ut nova subinde suæ emendationis incrementa faciat. Cavet præterea ne existimationi fucatae per vanæ ambitionis opera acquirendæ studia affrerait sua. Vitam otiosam speculationibus vanis deditam aversatur, austera nimisque rigidam detestatur. Justam, decoram, honestam amat, quippe quæ ad famam possit sternere viam. Cujus si compos factus est, delectatur, industriam felici progressu ad commune publicum extendit. Confirmant hoc virtutes non minus sagittæ, quam togatæ. Sede amne, inquit Hannibal apud Silium Italicum, ut noverit una me tantum Carthago? Et profecto tam notus iste per studium suum famæ est factus, ut vel unicum illud: Hannibal ante portas! postea sufficerit vel toti exercitui Panico injicendo terrori. Quid multa? Vix centum militibus, si famam habes, mille fungabis hostes. Hinc & antiquis Mars semper effingebatur

tur

tur equis furore & ira vectus, moderante equorum frena terrore,  
fama autem omnes praeunte, quod videre est apud Statium  
Contra vero si fama destituaris, quid tibi unquam cedet pro-  
spere. Scribat Mevius librum non ubivis obvia eruditione re-  
fertum, si fama ipsi deest, desunt etiam cupidi huius eximii laboris  
ematores. Moriatur vero Titius singularis eruditionis fama conspi-  
cuus, si videoas libros ejus auctionis recepto more venales exponi,  
heu quanta libido eos nimio saepe pretio emendi magna nube ad  
locum destinatum accedentes non occupat eruditos! Indicet Sem-  
pronius ex valvis Academiæ publicis vel singulis hebdomadibus per  
sex schedulas, viginti collegia, nisi floreat fama, en! præter do-  
centem ipsiusque canem vix aderit tertius, quos omnes tres de-  
mum collegium constituere commune habet proverbium. Et  
quid obstat, quo minus & huc referam ingenui hominis curam, qua  
eo nititur, ne ignari hominis incurrit maculam. Famæ neglectum  
turpis animi, gloriæ appetitum præclare indolis argumentum semper  
habuerunt sapientissimi quique. Et huc etiam famæ studium com-  
paratum esse docent Philosophi, quod mortalibus hominibus nomi-  
nis immortalitatem afferat. Delectentur homines suis divitiis, per-  
fruantur voluptatibus, ament ceteras mundi vanitates. Ultima tan-  
dem fatalis omnibus privant bonis: Famæ autem decus nemor-  
tuos quidem destituit. Dum hæc scribo, in memoriam venit, quod  
sapientes famæ aucupium argumentum immortalitatis animæ haud  
ultimum existimant. Non putentur homines tantos labores diu-  
turnos nocturnos domi militiaque suscepturos fuisse si cum vitæ fine  
gloriæ terminus poneretur. Sed hæc satis demonstraverint cur  
propter seipsum famæ sit inserviendum.

### §. V.

2) Captanda nobis est fama propter alios. Quis nescit famam ne-  
gligentes nulla virtutum teneri cura? Quid autem socios facilius a vir-  
tutis ramite tad vitia abstrahere potest, quam malum nostrum exem-  
plar? Duæ res sunt, inquit Hippoensis Episcopus, **Conscientia & Fa-**  
**ma**. Conscientia necessaria est tibi: Fari a proximo tuo. Qui certe fa-  
mam custodit, & in alios misericors est. Qui neglit, fidens con-  
scientiæ, crudelis. Nobis necessaria est vita, aliis fama nostra. Hæc  
B enim

enim ad præclara facta invitat alios. Cur enim in bello strenuos oli-va & aliis ramis redimitos Lacedæmonii laudabant publice, nisi ut alios ad aucupandam parem gloriam incitarent? Curque mortuos injecta purpura tam gloriose sepulcris mandabant, nisi ut virtutem posteri imitarentur? Epaminondas, cum Meneclidas quidam ora-tor, ipsum aliquando traduceret, ut qui de se quam Agamemnone magnificientius sentiret: facio, inquit, hoc propter vos. Ut scilicet alii eo magis ad imitanda & perpetranda egregia incitarentur, quo magis ipse sua prædicaret facinora. Et huc etiam pertinent, quæ in eam rem §. I. jamjam aitulimus.

### §. VI.

3) Etiam appetenda est fama proter integrum rem publicam. Si enim rite appetimus famam, appetimus etiam virtutes. Si appes-timus virtutes, tunc respublica bonos obtinet cives. Porro si per nostram famam incitantur alii ad paria studia, tunc continuæ invi-cem æmulationes, magna que exinde ad rempublicam redundant coitmoda. Magnam ubique in virtutis studio clarissima exempla relinquunt efficaciam. Celebrium virorum exemplo discunt juve-nes, quid agi in vita deceat, aut quo pacto via in lucubrationibus ali-isque præclaris factis ingredienda. Æneas apud Virgilium: Disce puer virtutem ex me verumque labore, Fortunam ex aliis. Præ-terea stimulum inanimis excitant exempla quæ plus ponderis gerunt, quam præcepta, quæ multi ipsa vita non exprimunt. Sed objicienti-um strepitum audire videor, ita respublicas perpetua æmu'latione invidiaque lacerari. Evidem non nego ambitionis œstro corre-ptos eruditos æmulationibus noxiis rempublicam onerare. Multi sunt, qui officiorum munierumque splendorem, scientiarum præ-stantium, famæque celebritatem in aliis dente canino mordent. Et dole-mus quosdam Viros, quibus eruditionis laude alios superare contigit, invidiam undique comitari. Sed his non obstantibus non tanta sem-per affectuum turpitudo omnes veræ famæ aucupes fatigat, ut ob famæ mutuum studium sibi invicem detrahere seq. variis modis la-cerare velle præsumantur. Id enim vix mihi persuadere possum, ve-ræ sapientiæ virtutisque alumnos ad hunc emergendi præ aliis pru-ritum posse descendere, id quod §. 4. demonstravimus,

### §. VII.

§. VII.

Celebris hic inter Juris N. Doctores quæstio est, utrum famam nostram vel cum inter nacione lædentis defendere liceat? Famæ appetitum moderatum esse jubemus. Sapiens oblatam honestam ad honores pervenienti non dimittit occasionem. Non tamen dolori statim succumbit, si detrahant malevoli honori. Reputat secum stultorum plena esse omnia. Sufficit ipsi si apud eos, qui virtutes ex debito valore meriuntur, bene audit. Id vero est, quod miramur, Philosophos nonnullos statuere, ignominiam ex inficta alapa contractam cum nece inelligentis posse depelli, nescio, quibus rationibus, quas scire aveo, nixos. Alapa equidem nimium quantum celebres viros potest affigere, sed facinoris atrocitas non tanta est, quæ morte injicientis redimatur, cum alia suppetant media depellendæ injuriæ magis idonea. Sed ad alia progredimur quæstionem huic fere cognitam allaturi, utrum sc. famam vel cum nostra morte tueri liceat? Ansam nobis, quod ita quæramus, de L. XXIII, c. 19, dit Cælii Rhodigini quidam locus. Mentionem ibi facit Indi cuiusdam, qui celeberrimam artis sagittatoriæ habuit famam, quem sagittas tanta peritia dirigendi præditum divulgarerat fama ut vel per annum transirent. Captum hunc aliquando Alexander artis suæ publica edere experimenta jubet sed frustra. Indignatus Alexander rapi jubet ad ultima supplicia miserum sagittarium dicto non audientem. Abducitur ergo ad mortem obluctans adhuc mandatis. Conversus tandem ad milites: ego, inquit, per multos dies artem excutiendi sagittas desieram, nec minimum quidem in eo exercebar. Proinde veritus ne ob insuetudinem voto exciderem, recusavi quod injunxerat Alexander. Ille vero audito nolle hominem vel cum vitæ damno opinione videri minorem, dimittit multis muneribus affectum. Hic igitus oritur quæstio, an istius pertinacia sit approbanda? Laudare institutum videtur Alexander cum eoque Cælius, inducti, nescio an trito illo: vita & fama pari passu ambulant. Sed falsus est canon absque omni limitatione intellectus. Vita civilis, puta, & fama pari passu ambulant. Verum canones quos sæpius afferunt, non adeo magni æstimamus & tantum dicimus sagittarium pertinacissimo supercilie Alexandri mandatis obstatisse, cum vitam, cujus perdendæ contumacia injicibat pericu-

lum, quacunque arte recuperare non potuerit, samæ v. iterum acquirendæ, quam paululum imminuere poterat, per exercitia supererat occasio. Quid igitur de iis sentiamus, qui vel ob levissimam injuriam statim in duella ruunt videre cuique est. Sed transimus ab his veluti generalioribus ad magis specialia, de eruditis Potissimum acturi.

### §. VIII.

Recensemus igitur modos quosdam eosque vel plane spurious vel plane suspectos, quibus gloriari venantur eruditi. Infiniti laboris & temporis negotium foret explicare hic & nominetens producere omnes ac singulos. Revocabimus tamen omnia in duas classes, quo & ea quæ non adducemus redigi poterunt. Aucupantur enim alii famam vel per studia vel per vitam. Per studia qui ad gloriam adspirant, queritant eandem vel per studia severa vel per elegantia vel per pædantica s. absurdâ. In studiis severis alii tantum antiquorum placitis γνησίως adhærent. Eorum vel sputum lambunt & vestigia vel medium per stercus & lutum calcant. Malunt errare cum antiquis quam cum recentiori ætate vera sentire. Hanc horrendo atq; infami Novatorū nomine facit castice prosequuntur. Horum placita refutare audent, quamvis nondum visa. Imo sibi nec a cæde quidem eorum temperare possunt, ut in Jacobo Carpentario videre est, qui in Petri Rami vitam ideo in Lanieno Parisiensi sæviisse dicitur, quia is Aristotelem tanquam numen colere recusabat uii testatur Passchius. Lacrymarum cum Dacieria torrentem profundunt, si quis cum Motteo recentioribus palmam præ antiquis tribuere velit. Idque per omnes quatuor, quas dicunt, facultates. In Theologicis si quis forsan nimiis Scholasticorum nugis, quas satis intempestive & his sacris immiscuerunt, recedere, aut aliquem scripturæ sacræ locum melius explicare conatur, ille vel Novatoris, vel Pietistæ, vel Heterodoxi, vel Hæretici & nescio quo tandem nomine laceratur ab aliis & damnatur. In juridicis multos etiam inveneries, qui hos implacabili persecutio odio, qui aut Jus Canonicum aut Corpus Juris corrigere, aut illorum usum in hodiernis rebus publicis in quibusdam partibus impugnare sibi in animum inducerunt. In Medicis etiam sunt, qui in omnibus morbis curandis tantum tritum illud Molierii cantant: clysterium donare, ensuita seignare

in invent.  
nov. antiqu.  
p. 56.

dans son mala-  
de imaginair

gnare & tandem purgare, reclisterisare, reseignare & repurgare. Re-  
li quos omnes morbes curandi modo tanquam spurios & contra re-  
gulam peccantes rejiciunt. Et quid tandem de Philosophis? horum  
fere quilibet suum ex antiquis tanquam aureum vitulum adorat Pa-  
tronum. Hujus placita tanquam oracula & de tripode dicta ce-  
droque digna defendit strenue. Idque non eam solum ob causam  
ut famam, quam jamjam habet, defendat, sed & novam plane sibi ac-  
quirat, triumphando sc. de novatore isto, monstro horrendo, infami,  
ingenti, cui quot in corpore fibræ tot mentis sunt mendæ.

§. IX.

Alii vero plane contraria via ad honoris templum tendunt. Isti nil nisi nova crepant, antiqua omnia tanquam humilibus animis  
digna aspernantes. Verissimas eas omnes dicunt sententias, quas  
paucissimi sectantur. Novam Philosophiam, novam Grammaticam no-  
vam Poesin, novam Chronologiam, nova inventa ubique jactant. In-  
terdum tam vanus est novaturientium pruritus, ut inventis etiam nul-  
lius utilitatis & ridiculis operam & oleum impendant, dummodo no-  
vum aliquod proferant. Novum inventum fumandi tabacum, novum  
inventum statuarum loquentium, novum inventum columbarum  
volantium, idque genus alia nova cantant saepius. Parterunt mon-  
tes et nascitur rediculus mus! Intedum & novis inventis studiis su-  
blevamina afferre gloriантur & revera multo difficiliora reddunt o-  
mnia. Exempla sunt odiosa. Si placeat examinare varias, quas excogita-  
funt, artes mnemonicas, aut artem magnam Ciclognomicam, videbis  
rem ita se habere. Alii aliorum inventa artificiose detegunt illa post-  
modum pro suis venditant, si que ipsi destituantur ingenio inven-  
endi nova, plagium committunt. Talem ingeniosum furem me-  
rito vocamus Galilæum a Galilæis, quem non in detegendis solum  
circumjovialibus Simonem Marium sed & inveniendis telescopiis  
observandisque maculis so' aribus Christoph. Scheinerum in tracta-  
tu Apelles post tabulam dicto antecessorem habuisse eruditis satis  
compertum est. Magnam satis nubem eorum qui plagi literarii rei  
sunt recenset Jac. Thomasius. Nec desunt qui non veritatis stu- in disp. de pla-  
dio contra antiquos pugnant, sed tantum ut eorum sint flagella. giō literario.  
Præter Laurentium Vallam, Petrum Ramum, Franciscum Patrici-  
um, Bernardinum Telefium Sebastianumque Bassam, notos Ari-

stotelicomistiges habebis adhuc multos hujus indolis famæ  
aucupes.

### §. X.

Sunt iterum alii nescio an ridendi gloriolæ captatores, qui se  
scire quædam putant, quæ vel plane nesciunt, vel scitum. impossibi-  
lia sunt. Habebis tales inter Kabbalistas. Dicitant illi se scire  
naturam angelorum, eorum ordines, singula singulorum officia &  
operationes. Numerant etiam eos eorumque vel nomina cognita  
hibere perspectaque gloriantur. Nominant hic, nescio quem Or-  
phanielem, Schemschielem, Thumielem, Schalgielem, Tabtabie-  
lem, multa insuper alia nomina. Ast quis ipsis ea dixit ? num  
cum Karbiele suo, aut Sandalphone, aut Adamo Kadmone sermo-  
nes instituere eorumque singulos nominatim accepere ? Habent  
tamen aliquid singulare, habent egregii viri sublimiorem Philoso-  
phiam. Nec tacendos hic puto Indos Philosophos beatitudinem  
triginta duabus figuris & octoginta qualitatibus obtinendam asse-  
rentes. Sed & ad nostrates. Horum alii angelorum & beatorum  
linguam rimati sunt de eoque disputarunt acerrime. Alii nescio,  
quo anserum volatu in lunam se transvectos esse ibique & incolas &  
reliqua ad naturam Lunæ spectantia observasse sibi imaginati sunt.  
Rursus alii inventa quædam crepant, aut plane nunquam, aut saltem  
in cerebro tantum inventa. Ita aliqui artem volandi didicisse & in-  
venisse se putant. Paulus Gvidottus Burghesius se 14. præeditum  
artibus gloriatus est, quæ singulæ panem porigerent & inter has  
etiam artemvolandi. Sed ne eæ quidem universæ satis dedere pa-  
nis, siquidem fame propemodum periisse misellum artificem testis  
Pinacoth P. I. est Erythræus. Quis negaverit hæc omnia aliquem gloriæ vanæ  
p. 123. sitim satis indicare ?

### §. XI.

Transimus nunc ad studia elegantia. Et per hæc etiam glo-  
riæ quid sibi quærunt elegantes homines. Non amamus, inquiunt,  
vanas morosorum speculationes, elegantibus incubuimus literis.  
Non sumus Palæmones, non vulpeculæ Scholasticæ, non morosi

Cato-

**Catones.** Elegans hodie est mundus, elegantia ergo esse debent studia. Elegans Juvenis Apollo est, non severus senex. Elegantes Musæ virgines, non corrugatæ frontis anus. Sed ecce mihi elegantes istos homines cum elegantibus studiis suis celebritati nominis inhiantes. Prodit in scenam [elegans eruditus, ceteroquin nasutulus, sciolus, blatero, Thraso, variisque elegantibus observationibus tanquam morionis vestimento comitus. Et has quidem Diario (journal) inclusas, veritus ne disruptant cranium in mundum evolare jubet. Has amatoribus pro duobus grossis non spectandas solum obtrudit sed & plane venales, adhuc paulo pejus, quam ii, qui pulcas, uti vocant, raritates cistis inclusas inspiciendas præbent. Non promerita quidem privamus laude Italos, Gallosque ut & Germanos, qui connexo saepius aliorum celebrium Vitorum labore præstantissimam suppeditant librorum notitiam, quorum, si etiam anxie ex amplissimis conquererentur bibliothecis, titulis cognoscendis tota ne quidem vita, quæ brevis est, sufficerit. Nemo tamen sanæ mentis invidia nos dignos & stimabit, calamum stringentes in viros quosdam, qui misera ambitione inflati vitam juvenem necessariis studiis impendendam, totam tamen in colligendis supervacaneæ eruditionis monumentis absunt. Et inter hos ipsos etiam aliis modo procedere luet. Alii enim contenti sunt depinxisse sa' tem eruditii cujusdam imaginem & scripti cujusdam Anglicani, Gallici, Italici, aut disputationis aut programmatis, aut inutilis etiam chartæ, quæ tamen ubivis obvia sunt dedisse excerpta. Ex proprio ingenio autem nil scribunt & famam tamen querunt. Alii contra eorum in id maximopere incumbunt, ut magnorum virorum interdum & mortuorum placita aggrediantur & scripta. Hæc quamvis saepius non intellecta sulfo & mordaci invadunt stylo idque tanquam in autoritate constituti. Interdum & aliam affingunt mentem. Sique postmodum Celeberrimi Viri non dignos eos judicent, quibus respondeant, aut non amplius respondere possint, morte ablati, ecce! videbis eos solenniter tanquam de victis triumphum agentes, haud secus ac galus quidam gallinaceus, si adversario suo gallinis suis imminentि quandam evulerit plumam. Sed pruritum Diaria scribendi hodie nimium quantum obvium

damna-

damnaque exin ad literas redundantia Viri in autoritate constituti  
exagitarunt atque aperuerunt.

### §. XII.

Paschius in  
inv. nov-an-  
tiq. p. 69. sqq.

in vita ejus  
c. 20.

Nunc venio ad absurdissimos omnium famæ aucupes. Eos scilicet, qui prædanticis, uti audiunt, studiis magnum in orbe quærunt nomen. Hos continuas inter se dissensiones, continua videbis habere bella. E iterum in tres potissimum abire classes deprehendes. Alii enim 1) sunt Aucupes Syllabarum, uti cum Cicerone vocare amo vesanos Criticos. Hi vel de lana caprina contendunt. Differunt subtiliter de patria Homeri, lites agunt acerrimas de hoc & Hesiodo, uter horum altero fuerit antiquior. Accurate determinant utrum scribendum sit haeres, an heres, auctor, an autor, consumtum, an consumptum, quoties, an quotiens, Virgilius an Vergilius &c. utrum dividendum sit etiam, an et jam &c. utrum legendum sit Agellius, an Aulus Gel'ius &c. utrum pingenda post singula puncta litera majuscula nec ne? libros edunt integros de Græco Ablatio, ut Crusius & Frischlinus, de reciproco sui, ut Valla & Raudensis. Incusant veterem Grammaticam, ut Casp. Scioppius, quod fraudibus & mendaciis plane sit referta. Hanc ob causam Christiani erubescendum putat, quod pueros ediscere & credere cogant mendacia, quod scil. ipsis persuadeatur, Cupressus, ulmus, laurus, populus &c. esse fœminina. Tanto nunc esse turpius ista tolerare mendacia, postquam eorum falsitas publice sit detecta & convicta. Maximum privatim ac publice importare detrimentum, omnis liberalis doctrinæ fundamenta in mendacio jacere &c. Præterea de Etymologicis multa disquirunt, integra volumina conscribunt etymologica, unius vocabuli fere centum afferunt radices, quarum tam vix una ejusdem continet literam. Magna de semetipsis prædicant, Latinitatem sese purissimam docere jactant. Illam in Ovidio reprehendunt, barbarie Plautum notant, in Taciti stylum calamum stringunt. Sed ne quis credat solius nostri ævi hunc esse morbum. Fuisse jam talium ineptiarum studi sum Tiberium, quisæpe crepaverit quæstiones: quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solitæ? testis est Svetonius. Græcos itidem quæsivisse refert Seneca; quem numerum

merum remigum habuerit Ulysses? utrum prior scripta esset Ilias, de brev. vita  
an Odyssea? & alia plura.

c. 13.

§. XIII.

Sunt 2) alii Pædantici gloriæ ivenatores abstractionum isti. Patroni, vesanæ mentis Scholastici. Concitata hi disputant mente, tanquam de salute reipublicæ, utrum dicendum sit forma an figura pilei. Sine hæfitatione crepant passionabilitates, præsentialitates, susceptibilitates, aptitudinabilitates. Mirifice delectantur entitatibus, formalitatibus, suppositalitatibus, quidditatibus, intenditatibus, homoneitatibus, Petreitatibus, cur non et asincitatibus hasceleitatibus &c.? Acutissime demonstrant principia individuationis & radicem futuritionis, & nescio, quæ alia otiosi ingenii vocabula? Concertant magno strepitu magnoque verborum apparatu, utrum abstracta & universalia sint nuda nomina an realitatis quid in se habeant. Non ne dixeris quælo hos occupasse studium profunditate meditationum sibi acquirendæ famæ, vel jam acquisitæ contra aggressores t uen-dæ? Quis non rideret eorum cerebellum, tristi superbia tanquam specie arcanæ sapientiæ, qua famam sibi acquirant, ferociens.

§. XIV.

Tandem & ad hos absurdos famæ aucūpes refero 3) Paradoxorum istos venditores. Παραδοξικῶς omnia exprimere summo cum sudore contendunt. Paradoxos libris præfigunt titulos, paradoxa disputationibus eligunt themata. Stoici quantum paradoxa amaverint satis notum est. Cur autem tam splendido involucro involvebunt dogmata? ut præclaram ingenii dotem commonstrarent omnibus, si que admiratores facerent, qui tam insolita audirent. Præcipue autem hic pertinent collaudatores rerum abjectissimorum, Asini, Pediculi, Pulicis, Podagræ, Febris quartanæ, Cœcitatis, luti, umbræ &c. quem enim hi alium habent finem, nisi ut acumen ingenii inutili fere labore ostentent.

§. XV.

Hactenus itaque diximus de studiorum generibus, quibus famam aucupantur eruditi. Nunc & observabimus specialia quædam circa methodum communicandi eruditionem cum aliis. Et hic diversa iterum via tendunt ad famæ palatium. Alii enim divulgent sua per Collegia, alii per actus publicos, alii per scripta.

C

Ap.

Applausus ante omnia est acquirendus. Utunt ergo variis artibus atque modis. Quidam literis ad Scholarum Rectores datis commendandos sibi collegiisque suis Academiae candidatos expetunt. Eo procedunt stultitiae, ut hos Cl. Viros, si forsan ad academiam deferuntur, ad se invitent, ubi opiparis esculentis vinique largis satis poculis excipiunt, & si per Jovem placeat, ad cellas vinarias abducunt eo splendidius arctiusque ad partes suas pertrahendos. Quis credit ejusmodi viris per eruditionem acquirendi famam æque ac auditorum concursum superesse spem? Virtus latere sub umbra necit & Vir eleganti doctrina instructus, qui bono publico infervire nititur, si non centum, decem tamen in Museo facile observabit, quos bonas artes edocere valet. Pergat modo industria, docendi dexteritate, indefesso libris impallescendi labore, tandem cupidos ex suo centis ore pendendi inveniet auditores. Industria namq; cognita nec Professores desunt, qui commendare possint & velint auditores. Neutquam tamen improbandam existimo amicitiam literarumque cum exteris commercium. Scio enim hoc esse prudentis eruditum; Scio etiam hos Clarissimos, qui Scholis præsunt, viros eruditionis nostræ fructum nobis afferre posse. Hoc tamen mihi videtur absurdum, tam absurdam saepius nonnullos ostendere curam illos demerendi. Quis enim dubitet, jam aliunde exploratos illos habere, qui in Academiis de studiosa juventute bene merori satagunt Doctores. Hoc tamen commodi hæc affert commendati, ut ne novelli studiosi ad valvulas publicas progressi ex tot schædularum myriadibus, quendam sibi imposterum audiendum eligere necesse habeant. Alii aliam ingrediuntur app' ausus acquirendi viam. Invenies, qui ex aliis academiis ad nos progressi loquendum sibi, ut videantur, existimant. Applausus enim cupiditer tantum omnia. Si disputationes publice intimatas vident, superba voce intonant: Quos ego! Quasi vero hic advena omnem solus devoraverit sapientiam & quemlibet bonum. Virum acerrima, ut quidem prætendit, disputandi ratione impune illudere ipsique suo accessu panicum injicere terrorem felici successu valeat. Minime gentium. Nullus artium genuinus Doctor tela alibi summa mentis anxietate collecta timebit, cum majori vi in enitentem retorquere satis proclive erit. Est equidem laudis, disputandi promptitudine errorum convincere alios: sed hoc insanientis est lacerare flagellare ludibrioque, dare velle  
Cl-

Clarissimos viros. At ut desint vires tamen est laudanda voluntas. Sed mitto misericordia dignos homines ridiculumque hoc famae parandae studium. Alii iterum aliam amant viam. Famulos emittunt in omnes Academiæ plateas, & ubi conventicula celebrant studiosi, eorum amicitiam ambire jussos. Contracta amicitia amicos ad se invitant, ubi gloriæ horrendum animal statim ac citato pede advolat & ad collegia sua commendanda verba callide subornata profert. Potione varia (Thée, Caffé) benevole præsentes excipit, amicitiamque contrahit. Studiosi ita decepti accurrunt auditores que se profitentur collegiorum, quæ intimavit satis beneficium gloriarum animal. Chartæ habenda est ratio & contrahenda in compendium verba. Alii centonem disputationis conscribunt, e crano suo nil proferentes. Vix cathedra egressi, logica, philologica, ethica, politica, & nescio quæ ontologica intimant. Sed si cupidi saepius novarum mercium, quæ gratis exponuntur veniales, emtores musea celeberrimi sc. Philosophi intrant, ecce famulus adest, si quem habent, satis benevolam propinans excusationem. Rursus alii in indicandis collegiis sesquipedalibus aut grande sonantibus utuntur verbis. Invenies frequentes ibi formulas; Ex itinere meo in Galliam, Angliam, Belgium aut Italiam redux sequentia indico collegia. In Collegiis ipsi vel sua si quæ ediderunt, commendant & citant scripta, vel Collegiorum suorum usum in Praxi quotidie crepant vel magnas bibliothecas jactant, vel venerandos Præceptores, ex quorum ore sedulo pependerint, laudant, vel magnorum virorum amicitias, ut de ipsorum etiam fama participant, ostentant, vel denique alios eosque absentes acutissimo stylo perstringunt. Superbe exclamant: Ego sum summus sapientiae Dictator, Philosophorum aquila, veritatis Hercules. Chrysippum agunt, quem a quodam, cui commendaret Filium, interrogatum respondisse ferunt: Mihi. nam si quemquam me excellere putarem, ipse apud eum Philosophiæ darem operam teste Laertio. Ab hac insanìa non erat alienus Theophr. Paracelsus, quem thrastonicis verbis dixisse constat: stultissimum capilliti sui pilum plus scire quam omnes Galeni sectatores. Imo barbam suam plus experimenti habere quam omnes, quæ essent, academias. Antiquis solennis erat iste mos, ut sublimiora dogmata fabulis, ænigmatibus, symbolis, numeris, figuris hieroglyphicis &c. tegerent, ut sublimissimi samaque digni viderentur

foli. Nunc illius loco vel magnifico eoquè difficiiliuntur stylo,  
vel acuto & mordente vel etiam ridiculo. Et quis recenteret omnia  
ista stratagemata, quæ in collegiis suis adhibent?

### §. XVI.

2) Eruditionem divulgant per actus publicos, disputationes  
putes & Orationes publicas. Iстis enim applicandum tritum illud:  
loquere, ut te videam! Et in disputationibus quidem nil nisi verita-  
tes venditant. Si demonstrantur errores, nolunt assumere; multa  
dicunt, nihil respondent; semel datas responsiones, quamvis centies  
refutatas centies repetunt; extra oleas vagantur; negant quod pau-  
lo ante ambabus manibus & recte quidem concesserant; multa alia  
machinantur, ut nefamæ cupidi eam perdant. Alii, si vitiorum  
Grammaticalium convincuntur, error, intonant, est typographicum,  
res aggredi non verbâ jubent. Si ordo desideratur, nescio quam  
methodum arbitrariam crepant. Mathematicam, Mathematicæ  
æmulam, Syntheticam, Analyticam jactant alii, confusa tamen  
omnia sistunt. In Orationibus profanis alius alium impugnat, re-  
futat, enervat penitus. Scit enim ibi nil sibi opponi posse. Acqui-  
rit tamen famam apud studiosam plebem. In sermonibus sacris ni-  
mis sublime amant dicendi genus. Sæpe latina, græca, hebræa,  
chaldaica, syriaca &c. magnifice intonant, Critica, Philologica, An-  
tiquitates, terminos scholasticos nimia autoritate miscent. Gerhar-  
dum, Chemnitium, Quenstedium &c. multas insuper disputationes  
frequentius æquo citant, ad quamlibet Phrasin etiam vulgarem  
& nil ad rem facientem locum Scripturæ allegant, testimonia Pa-  
trum cumulant &c. quo omnia satis clare animum ad gloriam avi-  
de aspirantem indicant.

### §. XVII.

3) Libros conscribunt. de Ephemeridum scriptoribus jam-  
jam egimus, quibus & fabularum heroicarum compo-  
sites adjungas. Supersunt adhuc alia scriptorum genera. Alii satis  
aucupatos esse famæ putant, si quendam Autorem classicum notis  
suis illustraverint. Hinc ubique MSCra conquerunt anxie, & si  
unam alteram ve literam invenerint immutatam en! variantem ja-  
stant lectionem. Magna reipublicæ literariæ deditæ putant in-  
cre-

crementa. Alii ne hoc quidem agunt sed explicant saltem inutilibus notulis suis textum. Ut si invenias Phrasin: animam angere, en! habebunt interpres notæ: Much machen. Praeclarum ita se edere putant eruditionis singularis plane specimen alto supercilio alios, qui idem non præstant contemnentes, quo tamen quid famæ aucupentur non videas. Alii a'ios scribunt libros. Iis speciosos præfigunt titulos, multa pollicentes, pauca servantes. Alii pauciora tantum imprimi faciunt exemplaria, ut rarus habeatur liber. Alii egregia aliorum dicta pro suis venditant, plagiaque horrenda committunt, aliorumque fama dignis meditationibus, sibi famam acquirere conantur. Alii tantum proprias meditationes jactant, reliquorum omnia aspernantur, judicium eximium probare nituntur. Alii libros & disputationes allegatis a capite ad calcem usq; complent, de suo ingenio il addunt, singularem ostentant lectionem memorie singularis ope adjuti. Sed hæc haec nus!

### §. XVIII.

Venimus nunc ad aucupium famæ per affectatam vitam & hic tria iterum considerabimus, externum corporis cultum, mores, virtutes. Externum corporis cultum non nihil existimationis hominibus inspirare, vel ex vulgo disces. Quod probe norat Aristoteles. Hinc ex vestitu sese externaque cultu a reliquis Philosophis plane distinguebat. Splendidis enim vestibus pretiosisque calceamentis usum testatur Ælian. Incedebat tonsus barbam, ornatus var. hist. L. 3. annulis vultu cavillationem quandam præ fferente idque contra c. 9. morem Philosophorum. Plato ideo aliquique hunc non probabant cultum promissam alentes barbam, baculum etiam per amque gestantes. Ast alii inter quas primarii Cynici, plane sordide incedebant, ita aliquam contempti fastus gloriam querentes. Vultum præ se ferebant squalidum, barbam ostentantes plane sylvestrem, pallium gerentes penitus lacerum. Diogenes imprimis hic maxime considerandus venit, omnis vel commoditatis vel decori tantus inimicus, ut non solum dolium pro splendida domo, ligneam patellam ac ipsam tandem manum pro urceo habuerit, sed & ne humili quidem desideraverit, nescio quem præ setulerit fastum philosophicum, quem præclarre detexit Præc. M. Menz. Audebat iste homuncio aliquando Plato- in disp. de fa- stu Philoso- phico, calcare cultitram: calco, inquiens, fastum Platonis. Ast Plato

calcas, respondit, sed alio fastu, lepide hominis vanitatem arguens. Adjungendus huic aliis ejus furfuris, Antisthenes quidam. Huic enim ostentanti aliquando vestem laceram & detritam fissuramque omnibus inspiciendam danti inquit Socrates: non desines te nobis comere? & alia iterum vice paulo clarius: per fissuram, di-  
L.3.& 8.Aqo xit, video inanitatem tuam, uti hæc omnia congeffit Erasmus. Ait  
phth. quid nostra ætate? Hic plane contraria itur via. Hic plurimi splen-  
didius æquo vivunt, splendidis incedunt vestibus, splendide exor-  
nant musæa, autoritatem sibi splendore conciliaturi. Pauci tamen  
& contra morem nimium squallidos se gerunt, Pileos jactant vi-  
ginti annorum, capillamenta gerunt confusa magis quam decoris  
quid afferentia. Vestimenta fere derosa, pallia penitus detrita  
ostentant. Si adeas illos, stercora & sordes, non decorum Museum,  
sues non homines invenies. Idque tantum ut videantur animum  
unice in literas direxisse.

### §. XIX.

Aucupantur alii famam moribus partim affectatis, partim eti-  
am stolidis. Sunt alii λεγομαχοι & λεπιολογοι. Amant misere  
continuas concertationes canium instar mordacium. Alii sunt  
loquaces, garruli, blaterones. Eripiunt omnibus occasionem lo-  
quendi, solam auscultandi eruditos sermones facultatem relinquen-  
tes: Rursus alii sunt irrisores, (mocqueurs) Democriti, omnia ri-  
dentes, exaggerantes, explodentes, convitiantes. Alii semper sunt  
meditabundi. Non raro velut ex somno sunt resuscitandi. Attra-  
hant autem sibi non raro hanc Cacœthen, nudo quodam gloriæ au-  
cupio, ut scilicet fere toti videantur in literis. Rursus alii eruditis ser-  
monibus saepius & sine necessitate immiscent verba Lat. & Gr. integras  
Phrases, varias sententias, tritos versus, nota proverbia idque genus  
alia, ostensuri se etiam aliquid didicisse nec in eruditione pueros esse.  
dans les re-  
flexions sur le Et quæ sunt alia, quæ quotidie obvia invenies exagitata celeberrimo  
ridicule. Bellegardio.

### §. XX.

Alii affectatis virtutibus autoritatem & gloriam sibi aucupan-  
tur. Horum videbis quosdam singularem præ se ferre pietatem,  
dans son Tar- quos accurate depinxit Molierius. Omnem plane corporis curam sæ-  
tuffo. pius aversantur, omnem sensuum delectationem abominantur:  
Reli-

Religioni ducunt saltare, chartis lusoriis uti, comedias intrare, pila ludere, alea delectari, ludo tetricario gaudere. Sed objicitur mihi: tuam laetis famam, si haec omnia licita depraedicas. Ast bona verba quæso. Scio equidem multos vanæ pietatis specie aut nescio qua phantasia abreptos ubique inveniri, qui ad Tartara has voluptas relegandos esse disputant; sed doleo nullam rationem solidam bonos istos Viros posse proferre, quæ id mihi persuadeat. Non semper orandum est, sed laborandum etiam. Continuata laborum series ni mis deterit frangitque corporis vires, cujus tamen duracionem debitam summus intendit Creator. An putemus isti tantum esse rigorem, ut invideat homini omnem delectionem sensuum, quæ gratum motum sanguinis & spirituum animalium excitat, ut longe alacrior ad labores suos peragendos deinceps recurrere possit homo. Non ille vero sum ut hos lusus præcise exercendos mortalibus imponam. Eligat, per me licet, quilibet lusum, quemcunque velit, aliquaque voluptatem innocentem. Ambulet circa urbis portas vel in Museo suo subsiliat, vehatur equo pila ludat, arte digladiatoria delectetur, saliendo in equum se exerceat (gallice voltiger) insultet mutatis vicibus equo ligneo modo antrosum, modo retrosum, modo dextrorsum, modo laevorsum, indifferentes tamen in individuo & isti lusus manent. Saltet Sempronius cum Mevia, ludat Titius, alea chartisque lusoriis (al' ombre) ludo regio utatur Schachico, indifferentiam tamen ista retinent. Id quod etiam observes contra Moralistarum vulgus, quis actiones non ex legibus sed ex circumstantiis metiri volunt. Evidem non nego mala ex in subnasci posse mortalibus, occasionemque peccandi praebeti. Sed tolle quæso e mundo puellas, tolle vinum cerevisiamque tolle gladios, tolle etiam sacra biblia. Si haec ex rerum universitate tollere tibi, duxeris religioni, nec tolle rogo, quarum injeci mentionem, voluptates. Vitiū est hominis abutentis, non rei tribuendum, quam si amat morum integritate insignis Mevius, innocens manet actio. Occasio non furem facit sed indicat saltem adesse furem. Saltet Sempronius vago amore uti occasione obvia consuetus, saltet inquam cum puella innocentia. Saltandi hoc exercitium non excitat libidinem in Sempronio nostro, sed visceribus ejus jam diu hæsit, erumpens etiam si in templo oculi ejus incident in puellam oris elegantia con-

spi-

spicuam. Sibi tribuat, quod subit, detrimentum & ipse abstineat a saltatione. Non digna repto cetera argumenta adversariorum, quæ nunc quidem examinem ob suam levitatem contemnenda. Nunc igitur iterum ad scopum! Alii per singularem modestiam eamque affectatam famam sibi querunt. Horum aiii nolunt libros scribere. Se enim indignos judicare simulant huicque negotio impares nec tamen revera aliud quid querunt, quam ipsam famam. Se meliores aliis putant, qui scribendo gloriam querunt. Hunc communem putant omnium inclarescendi modum, si singularem amant aucupandæ famæ methodum. Volunt rogari & hiantibus faucibus desiderari. Alii spernere solent omnes honores & titulos. Solitariam eligunt vitam, ut eo magis querantur. Habebis exemplum illustre in Carolostadio aliisque pluribus. Alii per Apathiæ studium gloriam venantur, quod Stoicoram fere præcipuum propriumque erat stratagema. Per affectatam constantiam & patientiam iterum alii, quo et Gymnosophistas referto, quorum quidam omne fere tempus nude exigebant, modo Caucasi, gelido rigore corpora durantes, modo flammis sine ullo gemitu objicientes, idque ideo tantum ut sibi conciliarent autoritatem, ut primis quandoque in republica honoribus digni judicarentur. Ridendos profecto vesanæ mentis homines! Multa alia in thematis hujus deductionem coacervare hic possemus, si constitutos nobis limites migrare vellemus. Ad causas igitur progressari sumus, quæ ad aucupandam famam impellunt.

### S. XXI.

Et inter has primum quidem locum obtinet *Philavtia*. Est enim hominibus a natura inditum, ut se ipsos ament. Hinc non minores ceteris esse volunt, ad eandem aut maiorem etiam adspirant famam. Oritur inde aucupium famæ, quod legitimum fit, si Philavtia non est major æquo. Illegitimum a. si illa perversa sit & ad media illegitima animam applicare jubeat. 2) hoc referendam puto *Æmulationem*. Optat. n. mortalium quisque si de fama alicujus summi viri audiat, ut eandem habeat gloriam. Ast invidet etiam interdum, aut prohibita adhibet stratagemata. Ita fit malum famæ aucupium. Abutitur vanæ gloriæ animal ingenii viribus & ad pernicioas ruit sententias si per bonas artes ad famam pervenire non licet. Quis quæso invide re velit Bened. Spinozæ acutissimi Philosophi elogia, quibus ab eruditis

ditis ornatur. Quis autem insimul nescit ingenii ejus abusum in religio-  
nis negotio. Huc trahas Angulum quendam, Jo. Asgill. quem immortalitatem non animæ solum sed & corporis in hac vita constitutum hominem obtinere posse, tractatu quodam ostendisse inter eruditos con- diff. de trans-  
stat, quem D. Jo. Georg. Pritius refutavit. Nova scribendi de quibus latione ad vi-  
totus terrarum orbis loqueretur Cl. Asgillum incessisse libidinem te. tam sine mor-  
statur, Magnif. Lœscherus. In Carolostadio præsertim habemus illu- te, Servestæ.  
stre exemplum, quem famæ Lutheri æmulum illam opprimere suam- In Alten und  
que vero ad cœlum usq; tollere ausum satis constat. Novas opiniones 1712. p. 25.  
de S. Cœna spargens, reprehensusque ideo a Luthero & satis benevole,  
ut desistat admonit. Ego etiam cupio magnus fieri superbe respondit.  
3) Ad aucupandam famam ducimur etiam per *Lucri cupidinem*. Utilis est virtus & ex virtute fluens fama ad parandas divitias, sed stultitiae est virtutem tanquam bonorum fortunæ instrumenta usurpare cum res potius invertenda. Operam itaque dat sapiens, ut divitias equidem sibi paret, sed si instrumenta & ornamenta virtutis non existimet, summopere fallitur. Cavendum itaque est ne ex paupertate & stipidiate asserta sapientiam suam aestimet, aut ab aliis aestimari velit quod Cynicorum & saepius etiam stoicorum erat vitium. Cavendum etiam ut ne ad divitias, virtutum ornamenta, perveniendi spe privati tristitia angamur, famæque incrementa desperemus. Si mediis legitimis divitias comparamus, res est bona, sin illegitimis ad rerum abundantiam grassamur, famam nostram nos ex præstantia sua aestumare neutiquam putemur. 4) his annumerare licet animæ nostræ quendam immortalitatis appetitum. Omni studio, omni opera eo nititur, ut post ultima etiam fata nos nostrarisque præclaras actiones æterna gloriæ æternaque maneat memoria. Elegantibus verbis hoc corroborat Tertullianus: Omnibus fere, inquit, in genita est famæ post mortem cupido. Longum est retexere Curtios vel Regulos & Græcos viros, quorum innumera elogia sunt contentæ mortis propter postumam famam. Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, ut vel literaturæ operibus vel simplici morum laude, vel ipsorum sepulcorum ambitione nomen suum servet? Unde anima affectaret aliquid hodie, quod velit post mortem & tantopere præpararet, quo sit usura post obitum, si nihil de postero sciret. Haec calculo suo approbat Cicero pro Archia: Certe si nihil

In libro de testimonio animæ adversus gentes,

D

ani.

animus præsentiret imposterum, & si, quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigilisque angeretur.

§. XXII.

Nunc tandem ad media famæ acquirendæ legitima progredimur, non omnia quidem, hoc opus enim hic labor, sed quæ nobis sunt nota prolaturi. Famam primo posse acquiri per scripta acutissima in lucem edita sive nostra sint sive aliorum, quos scriptis præclaris luci publicæ edendis intentos ultima occupant fata nemo puto dubitabit. Facere non possum, quin huc imprimis referam illos, qui in facultatibus mentis nostræ, vitiis imbecillitatibusque egregie, uti par est enucleandis ingenii acumen collocarunt, & quomodo medelam iis afferentes oporteat, ut felices evadamus, præceperunt. Vera enim eruditio, ut mihi quidem videtur nihil aliud est, quam vera solidaque illarum rerum quæ hominem felicem reddunt cognitio. Non aliis vero ad rerum felicitatem via patet quam iis, qui omnibus mentis facultatibus rite prout decet uti sunt edocti. Quidni igitur illos æterna memoria dignos deprædicemus qui cum excellenti ingenii acumine præ aliis gaudeant, in eo collocant industriam, ut miseros mortales libris evulgandis miseriam suam deponendi summumque assequendi bonum vlam edoceant, Si enim nemo adfuerit, qui modum rationemq; monstraret, quomodo quæso utantur mentis facultatibus, quomodo deponant vicia miseri mortales. Ast non leviter aberrant ab hoc scopo, qui ejusmodi libris mundum replent, qui ad hominis felicitatem nihil conferunt. Undique hodie novis libris bibliopolia esse adornata tempore nundinarum loquuntur catalogi. Sed utrum mercantur omnes, qui cum gratiarum actione excipientur, illi judicant, qui rei literariæ excellentissima notitia jam diu nominis sibi celebritatem conciliarunt. O irreparabilem temporis jacluram, quam legendis sine discrimine omnibus libris subeunt, qui de rerum præstantia nondum judicare valent! Quis non prono nexu colligit, eos etiam vel ideo summam mereri gloriam, qui dum cetera viri sint exercitatiissimi in librorum vel vitiis vel virtutibus detegendis industriam collocant maximam. Non diripiunt ulterius præjudiciis scatentē juventutem thrafonici tituli, quibus superficiariæ saepius eruditionis libri præfiguntur. Et quis denique utilitatis plenissimum hoc institutum unquam satis laudaverit, quo viri Cl. aliorum quos præmatura mors abstulit,

stulit, virorum opera, quibus per multum vitæ spatiū invigilarunt  
luci publicæ exponunt. Egregie merentur de demortuorum gloria,  
& suam simul famam promovent. Prolixius exponere nunc quidem  
hæc possem, sed tantam rerum farraginem chartæ hujus non capit an-  
gustia. Cetera itaque in compendium contrahantur necesse est.

§. XXIII.

Famæ aucupandæ matura etiam occurrit copia per inventorum  
præstantiam, ex quibus ad res publicas undiquaque maxima profu-  
unt commoda. Vivent in æternum semperque per ora eruditorum  
volabunt clarissima Borelli, Malpighii, Harvæi, Fluddii, Drebbei, Becheri, Kircheri, Boylii, Guerickii, Torricelii, Sturmii, aliorumque  
de re mathematica & Physica per inventa sua meritorum virorum  
nomina, quæ nunc fusius allegare nec placet nec vacat. Novimus  
principum præmia, quibus excipiuntur, quibusque & alii ad premen-  
da vestigia excitantur. Id saltem jamjam dicere placet, nostrum seeu-  
lum tot præclaris inventis adornatum longe præferendum esse anti-  
quis temporibus. Constant eruditis multiplices errores quibus phi-  
losophiam physicam imprimis obruit Aristoteles. Habemus nunc ba-  
rometra, thermometra, antlam pneumaticam, campanam urinatori-  
am, tubum opticum, telescopia aliquosque clarissimorum Virorum la-  
bores, qui omnes nostram ætatem ad rerum affectiones propius addu-  
cunt. Veneratur, exosculatur horum virorum memoriam præfens  
ætas prædicabitque posteritas, quæ si parem famam appetat, novis  
nova addere allaboret. §. XXIV.

Et quid obstat nunc ut ad famam aucupandam literarum commercium  
optimam etiam esse viam affirmem. Idonea satis literas esse media exinde li-  
quet, quia in exteris terras ad Viros Celeberr. missis de rebus gravissimis dis-  
serendi matura admovetur occasio. Proclivior per aliorum amicitiam inclare-  
scendi via, quo se epistolarum gravi argumento elegantiaque ad nostras spertra-  
himus partes, qui proinde nostræ eruditionis fructum sibi impertiendum ex-  
petunt avidissime; quam si inter patriæ limites hæreamus tanta negotiorum mo-  
le obruti, quæ, quo minus eruditionis elegantis libros conficiamus, sunt impé-  
dimento. Huc referre liceat scripta eristica, quæ ad destruenda  
falsa dogmata vel pessimos, quos alii defendunt mores adornare  
eruditum. Sed saepius in his ratione quantitatis non minus quam  
qualitatis peccari finemque suum non assequi querelæ testantur publibæ. Mu-  
ltis volupe est in inferendo aut continuando bello abumere vitam. Quid  
vero juvat in perpetuis scriptis brevem exigere ætatem & contra quoslibet, qui  
vel leviter nos tangunt, calamum stringere pugnacem. Otio suo in serendis  
rumoribus eruditos abuti saepius quis quæso negaret. Sed revoco tandem ani-  
mum ab his & si mecum reproto, quod si objecta crimina silentio suo comitem-

112

tur Eruditi, facitam eorum confessionem interpretentur adversarii. Diluenda  
merito existimant, ne male de amato otio sentiant alii famaque detrahant.  
Temperant tamen calamo satis gnari, vitam nimis esse brevem nimis multa  
magni momenti superesse addiscenda. Sciunt etiam alii melius suas collocare  
horas, quam ut quaelibet scripta eristica anxia industria in bibliopoliis conqui-  
rant, iisque cognoscendis tempus insumant. Sed pluribus hoc dissertatione  
arti criticæ an- Ethica persecutus est, qui diu intereruditos celeberrimam meruit famam, Jo-  
nixa in q̄a Clericus.

s. XXV

solvitur pro- Nec tandem singulari fama defraudare vellem Viros, qui doctrinæ ubertate  
blema: sem- industriaq; in collegiis habendis indefessa undique eluent. Discedunt quot-  
per respon- annis magna studiosorum pars Academiis, meritorum, quæ Doctores in  
dendum sit ca- Academiis in se contulerunt, menores. Subent gratitudinis leges ut mentio-  
jumiis The- nementorum in exteris terris factam venerentur exsculentur. Sic nunquam emo-  
ologorum. rietur Doctorum fama, quamdiu suminis præsent honoribus, qui ex eorum  
exieze scholis in varias mundi partes a fortuna translati Viri. Non minore gloria  
dignos fere judico Celeberrimos Scholarum Gymnasiorum Rectores. Venera-  
mur Gleitsmanniana, Weidlingiana, Weisiana, Hofmanniana, Grosseriana, Wen-  
zeliana, Vockerödtiana, Willischiana, Gumprechtiana, Doppertiana, Bœtneriana,  
aliorumq; nominis quos de Scholastica juventute optime meritos & adhuc me-  
reri constat. In quorum enim animo, cum pietas ita jubeat, non haerent doctrinæ  
reliquiae, qua qui præsent scholis curæ suæ demandatos instruunt bonaque spei  
capaces ad academias diniunt. Sed revoco calamus ab his ne in modestiam  
Tantorum Virorum, qui superstites ad huc sunt quosque clementia divina diu  
adhuc superesse vitæ dignetur, peccare videas.

s. XXVI.

Plura addere vetant limites, quos disputationi præfiximus. Omnes obser-  
vationes exemplis ex historia literaria desumptis illustrare erat proclive, sed pe-  
riculum videbatur ne in magna molis librum exherescere tractatio. Interea o-  
mnem invidiam a nobis declinamus, eorum imprimis, qui perlegendis his no-  
stra tela in se fuisse conjecta observant. Revocent animum ab his quæ sunt inho-  
nesta, quæ turpia, ægramque mentem honestis præceptis componant. Mores se-  
culi in conspectum dare neq; justitiae neq; honestatis neq; decori regulæ prohi-  
beant, si modo candidus simplexq; virtutis amor vano laessandi aliquos pruritus non  
intermixtus undiq; appareat. Apparet vero in nostra dissertatione, dum men-  
tionem injecimus nullius, quem nostro scripto lacerare cogitaverimus. Id vero  
dabimus operam, ut in conflictu, si quedam modestia, quæ omnis disputationis  
anima est, comite a Viris Cl. objiciantur veritati non congrua, modeste etiam  
amplexemur, inde famam quæsiri, ut non absurdorum pertinaces agamus de-  
fensores, sed nos unicuiq; veritatum amantes præstemus. Tandem, quod præter-  
ire impium erat sanctiss. Numini agimus gratias, quod sua nos hoc labore juvare  
dignatus sit. Præsit divina vis & impostorum nostris studiis ut præfixam tan-  
dem attingant metam honoriq; divino & bono publico promovendo impelle-  
scere possimus ulterius. Prohibeat autem ne vana gloria animum nostrum infle-  
mus aliorumque famam despiciamus vel immuniamus. Peliat ex nobis ambitio-  
nis vanitatem, largiatur mentis humilitatem.

Coll. diss. A. 215, misc. 1